



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Syntagma Iuris || Vniversi, Atqve Legvm || Pene Omnivm  
Gentivm, Et || Rervm Pvblicarvm Præcipvarvm,||**

**Grégoire, Pierre**

**Francofurti ad Mœnum, M.D.XCIX.**

**VD16 VD16 G 2999**

12 de Gerentibus munera ciuilia, & eorum generali distinctione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97739](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97739)

De Astrologia autem lib. 8. Geometriæ artem discere atque exercere, publice interest. Ars autem mathematica vana, diuinitio videlicet, omnino interdita est. l. 2. *C. de maleficis & mathematicis lib. 9. tit. 18.* Mensuratione terræ, in finibus regundis, & terminis describendis egeamus. *ut finium regundorum, & nos alibi suo loco, tit. finem for. sal. mod. dixer.* Geometriæ a terræ mensura dicti sunt, & agrimensores: qui tamen a tutelis non excusantur, nisi a principe curam arte illa egentem susceperint. *Seauola, in l. Geometria, 25. de excusat. tutor. in P.*

## De Physicis, &amp; Metaphysicis. Cap. 9.

*1 Physici, Metaphysici, & Theologi qui.*  
Physici dicuntur: quod rerum naturas considerant, & inquirunt: quomodo autem illud fiat, & de Physica facis abunde diximus lib. 11. *Syntaxe in P.* Philosophi, olim Philosophi nomine dicti sunt, & de Philosophis iam dictum est. His continentur & metaphysici, qui altiora, & abstracta contemplantur, de quibus diximus lib. 10. *Syntaxe in P.* Quorum etiam nomine & continentur Theologi, qui arcana & diuina pertractant mysteria, & de rebus quæ naturalem inquisitionem excedunt: de quibus & egeamus in sacramentis, & in rebus sacris, & lib. 7. *Syntaxe in P.* Et agitur in titulis, De summa trinitate, & fide catholica, in vtroque iure, ciuili & pontificio, & diuino. Et de sacrosanctis ecclesiis, de episcopis & clericis, de quorum etiam nos ordinibus & officiis, & sacerdotiis, diximus propriis locis. Physicæ appellatione iuris pontifici auctores & comprehendant medicinam, quam & prohibent religionem & claustrum professis. *in c. sententiam, c. 3. & c. super specula. ne cler. vel monach. ap. Greg.*

## De Personis Vacantibus speculatiuis rationalibus scientiis. Cap. 10.

*1 Scientiis speculatiuis rationalibus persona vacantes.*  
*2 Grammatici qui immunes a muneribus.*  
*Professores literarum, Rhetores, & Dialectici, eod.*  
*3 Poetæ non habent immunitatem.*  
Inferiores tamen ordine personarum, quæ speculatiuis tantum rationalibus vacant, & necessariz tamen, vt basis & fundamentum aliarum, sunt primò Grammatici, qui literis cognoscendis, coniungendis, & proferendis, & in componendo sermone studium adhibent, de quorum arte pauca nos tractauimus lib. 16. *Syntaxe in P.* Grammaticos sequuntur Dialectici, seu Sophistæ: Rhetores seu oratores. Qui quando sunt probati & recepti ab ordine, ciuili, ad erudiendum iuuentutem, iisdem studiis publice, consequuntur, vt omnium liberalium studiorum professores, immunitatem & vacationem a muneribus, ex his, l. 10. §. *angariarum, de vasa mune. P. l. oratione, 4. l. medicos, 6. de professor. & medic. lib. 10.* Ceteri scilicet si ex numero eorum professorum sunt, qui vacationem habent, non aliter. *Modestinus, l. si duas habent, 6. de excusat. tutor. in P.* ¶ Quæ tamen pueros primas literas docent, (vt arbitror in hunc ordinem non alleget publicum) immunitatem a ciuilibus muneribus non habent. Sed nec cui eorum, id quod supra vires sit indicatur, ad prædixit religionem pertinet: siue in ciuitatibus, siue in vicis primas literas magistris doceant. *Vp. in l. 2. §. fin. de vacatio. & excusat. muner. lib. 50. P. tit. 5.* ¶ Poetæ hoc privilegio, aut vlla immunitatis prærogatiua non iuuantur, l. 3. *de professore. & medic. lib. 10.* C. nec calculatores, vt diximus. De poetica videbis explicationem, lib. 19. nostrarum *Syntaxe in P.*, & de historia, & historiographis, lib. 20.

## De Iuriconsultis. Cap. 11.

*1 Iuriconsulti vere Philosophi.*  
*2 Iuriconsultorum antiquorum responsa pro lege, & quando, 3.*  
*3 Auditorium iuriconsultorum quid.*  
*4 Iuris ignorantia non excusat, ubi est copia iuriconsulti.*  
*5 Iuriconsultorum opera in omnibus usus Alexander Severus.*  
*Iuriconsulti qui fuerunt familiares Alexandro Imperatori.*  
*6 Papiniani mors.*  
*7 Monachis iura ciuilia audire prohibitum.*  
Iuriconsulti tamen iuris periti, & legum doctores, circa speculatiuam præsumunt versantur, & veram philosophiam, æqui bonique cognitionem, l. 1. *de insti. & iure* & eam postea vtilitati publicæ, peracto legitimo studiorum curriculo, communicant. §. *fin. in 2. proemio. P.* ¶ Atque qui diu versati in ea disquisitione erant, olim responsa dabant consulentibus, quæ pro lege habebantur,

quæ & quandiu cum ea auctoritate responderi facultas data est. §. *responsa prudenti, de iure natur. gent. & ciuili. l. si. §. fin. de origin. iur.* Ad iuriconsultos veteres olim sic adibat, auctore Cicero, ne, 3. *de orator.* vt non solum de omni iure ciuili, verum etiam de omni officio aut negotio referretur: in conficiendis testamentis, contractibus, & obligationibus adhibebantur, eorumque responsa iudices sequebantur. ¶ Auditorium idcirco habere dicebantur iuriconsulti, vt legimus de auditorio. *Emilii Papiniani. l. lecta, si certum petat. in P.* Et adhibebantur in consilium a magistratibus ipsis iuriconsulti. *Gellius, lib. 12. c. 13.* Reddebant porro responsa post longam in foro causarum exercitationem: quo tempore oratores senectute graues, deposito cauillarum forensum onere, domi, quo suam etiam tum dignitatem tuerentur, ius respondere solebant. Erat Cicero, 1. *de orator.* sub Crassi persona ioris interpretationem, non solum ad vsum forensem, sed etiam ad decus & ornamentum senectutis sibi comparasse dicit. Et in folio sedentes iura peritos iuriconsultos respondisse idem tradit. *Cicero, 2. de orator.* Et de se, *Ego vero, inquit, Cicero, 1. de legib. atatis postu. vacationi considerabam, cum presertim non recusarem, quo minus more patrio sedens in folio, consulentibus responderem, senectutis que non ineris grato atque honesto fungerer munerem.* ¶ Paulus refert Laboneum respondisse, iuris ignorantiam non excusare eum, qui iuriconsulti copiam haberet. *Regula est, 9. §. sed iuris ignorantiam, de iuris & facti ignor. in P.* ¶ Alexander Severus Imperator, negotia & causas prius ab scitiorum principibus & doctissimis Iurisperitis, & sibi fidelibus, quorum primus tunc Vlpianus fuit, tractari ordinarique, atque ita sibi referri voluit. Familiareque iuriconsulti ei fuerit, Fabius, Sabinus Sabini filii, Cato, Domitius Vlpianus, Ælius Gordianus Gordiani Imperatoris pater, Iulius Paulus, Pöponius, Alphenus, Africanus, Florentinus, Martianus, Callistratus, Hermogenes, Venuleius, Tryphonius, Metianus, Celsus, Proculus, Modestinus, fere omnes discipuli splendidißimi Papiniani, omnes iuris professores, vt auctor Ælius Lampridius. *in Alexandro Severo.* ¶ Qui tamen Papinianus iussu Bassianisue Antonini Caracalla filii Seueri, percussus fuit securi, & a militibus occisus. *Ælius Spartianus, in Antonino Caracalla.* Simulque cum eo filius eius, & Petrovius, aliique, quod Getæ fractis partibus fuisse secuti. *eod. Spartianus, & Xiphobius ex Dione, in Caracalla Antonino.* ¶ Statutum in synodo Turonensi, ne monachi ordinem regularem professi claustrum exeant, legum ciuiliam audiendam causam, pœnis etiam id facientibus imposita excommunicationis, in c. 3. *& c. super specula. c. 10. no. cleric. vel mona. quia absurdum est clericis imo etiam approbosis si per nos velint ostendere esse disceptationum forensium.* *In fin. in l. repetita, 35. de episcop. & cleric. C.*

## De Gerentibus munera ciuilia, &amp; eorum generali distinctione. Cap. 12.

*1 Honor municipalis quid.*  
*Honor a munere quomodo discernatur, & differat. Item 10.*  
*2 Munus quomodo honorem contineat eod.*  
*Munus, & donum, & onus continet.*  
*Immunitas vnde eod.*  
*3 Municipis qui.*  
*4 Munus publicum & priuatum quid.*  
*5 Munerum ciuilium diuisio.*  
*6 Munerum personalium diuisio, & finitio.*  
*7 Munera patrimonialia que, & mixta.*  
*8 Munera alia or dinaria, extror dinaria, rebus adherentia in dictu.*  
*9 Professores artium oneribus hospitiarum militum & angariarum immunes.*  
*10 Munera, & honores in quibus differant: in quibus conueniant, & in.*  
*12 Honorum gradus, & distinctiones.*  
*Honor delatus a principe dignior ceteris, eod.*

Personæ tamen alia distinguuntur ratione honoris vel muneris, quod gerunt in ciuitate, municipio vel republica. Honor municipalis, est administratio reipublicæ cum dignitatis gradu siue cum sumtu, siue sine erogatione contingens, *Callistratus, in l. honor, 14. de munerib. & honor. lib. 50. P. tit. 4.* & ita a munere, quod potest esse sine honore & dignitate seceruntur. *vt in l. honores, 8. de decurion. in P. l. cui muneris, 12. l. rescripto, 6. §. sciendum, eod.* Inter honores sunt magistratus, decurionatus, & reipub. administratio. *l. l. cui muneris, 13. & l. rescripto, 6. de munerib. & honor.*

Et munus quoque appellatione veniunt honores, & ita honor manus dicitur. *si quis magistratus, 9. de munerib. & hono.* Sed ea ratione, qua minus proficiat, non quando pro onere minus. Nam tunc, vt diximus, honor a munere differt: & ita verum est, quod dicitur, honorem sustinent manus inferri non posse: & contra, munus sustinenti, honorem deferri posse. *Modestinus, l. honorem, 10. eod.* Et videtur lex constituere honores duplices personarum, & patrimoniorum. *Vlpian. l. rescripto, 6. §. fiant: & sciendum, de munerib. P. l. 10. de vacat. mune. P.* Sunt enim res, quae possessoribus dant dignitatem, vt comitatus, feuda nobilia, & id genus alia. *¶* Manus æquiuocationem habet ad donum, & ad onus, quod cum remittitur, vacatio muneris dicitur, & ind: immunitas. Et ad officium, vnde & munera militia, id est, officia. *Paul. l. munus, 18. de verb. sig. Manus* Martiano, quod necessario subimus, more, lege, imperio eius, qui iubendi habet potestatem. Et ita distinguitur ab appellatione muneris, quod pro dono sumitur: cum dona sint, quae nulla necessitate iuris, officio, sed sponte praestantur. Ita latius patet muneris appellatio, quam domi, quia omne donum dici munus potest, non donum omne, munus, *Martianus, in l. munus, 21. 4. de munerib. & honor.* habet enim munus omne causam quandam, ob quam fit, quod donum non habet. *Paulus, l. interdum, 19. 4. de verb. sig.* Honor itaque cum dignitate erit munus, & sine dignitate esse possit. *¶* Munus secundum Varronem, quod muniendi causa imperatum, a quo etiam municipes, qui vna muneribus fungi debent dicitur. *¶* *Marcus Varro, 4. de lingua Latin.* *¶* Manus aut publicum seu civile, aut priuatum. Publicum munus dicitur, quod in administranda re pub. cum sumtu sine titulo dignitatis subimus. *l. honor. §. 1. de munerib. P.* Manus publicum, inquit Pomponius, est officium priuati hominis, ex quo commodum ad singulos vniuersosque ciues, remque eorum, imperio magistratus extraordinario peruenit. *l. pupillus, 23. 6. pupillus, de verb. sig. P.* Hinc & municipes illi quilibet loco munera, id est, officia municipalia capiunt. *d. l. munus tribus modis 18. de verb. sig. l. ad municipal. in P.* Priuatum contra erit munus, cuius utilitas ad priuatas pertinet personas. Est & quoddam munus publicum auctoritate, & priuatum utilitate: nempe quod auctoritatem habet a publica causa, sed utilitatem singulorum vt singulorum non vniuersis simul respicit, quale munus tutela, & cura. *¶* Hermogenes Iurisconsult. munera cuncta, in personalia, & patrimonialia diuidit, vt *Vlpian. l. 1. de munerib. in P. l. rescripto, 6. §. sciendum est. eo. tit.* Arcadius Iurisc. confertur membrum addit mixtorum. *in l. 18. l. munerum, de munerib. in P.* *¶* Personalium & quaedam cum dignitate & honore, quaedam sine dignitate. Personalia munera sunt, quae animi prouisione & corporalis laboris intentione, sine aliquo generantis detrimento perpetrantur: veluti tutela, cura, calendarii curatio, quaestura tyronum seu equorum productio, &c. *d. l. munerum, 18.* *¶* *¶* Patrimonialia sunt, quae sumtibus patrimonii & damnis administrantis expediuntur. *d. l. munerum, §. fin.* Et ex his, quaedam possessoribus iniunguntur, siue municipes sint siue non sint, qualia quae agris vel aedificiis indicuntur: alia quae non nisi municipibus & incolis. *l. rescripto, 6. §. fin. de muner. & honor.* Mixta sunt, in quibus corporale ministerium & patrimonii onus inest. *¶* *¶* Horumque omnium munerum, quaedam ordinaria, quaedam extraordinaria sunt. *l. omnes omnino, 4. de an. & tribu. l. 10. C. l. 1. de indiction. eod. lib. 10. C.* Rursum munerum alia rebus adherent alia indicantur: adherent praediorum collatio, viae stratio, angustiarum exhibitio, hospitium susceptio, aduersus quae nulla privilegia excusant. *l. sunt munera, 1. 1. de vacat. muner. P.* *¶* *¶* Nisi de his nominatim coaccessa, veluti nominatim immunes facti sunt ab angariis, & hospitio militum, professores artium liberalium. *l. in honoribus, 10. §. angariarum, de vacat. muner.* *¶* *¶* Differentiae plures inter honores, & munera, ultra eam, quae oritur a nominis diuersitate, *l. si idem, C. de codic. veluti quod ad decurionatum, nemo post quinquaginta annos vocatur inuitus, quamuis si consenserit decurionatum etiam post 70. recte gerat: non tamen munera subire cogatur. l. 2. §. fin. de decurion. lib. 50. P. tit. 2. 2. furdus & mutus omnino excusantur ab honoribus, Paul. l. honores, 7. §. 1. de decurion. P. l. 1. C. qui mort. se excuset. l. 10. C. l. frater, de excusat. tutor. §. Item furdus, quibus non est permissi. facere testam. non a muneribus, scilicet patrimonialibus: nam a personalibus excusantur. *l. qui morib. se excuset, 3. Vacatio muneris excusat a munere, sed non ab honore. Isabolen. l. cui muneris, 12. de muner. & honor. 4.* Sentium excusata munere, quod implendum labore & corpore, non autem ab honoribus, qui peraguntur con-*

filio. *l. 2. §. corporis, de vacatio. muner. lib. 50. tit. 5.* *¶* *¶* Commune vtriusque in ciuitatibus & municipiis honores & munera municipi per vices, & aetates, & gradus, iure antiquitatis distributi & defecti. *l. 3. §. praesens provincia, de muneribus & honor. P.* Item hoc generaliter communicat inter le honores & munera, vt in vtriusque considerandi sint primum ipsi honores, cuius gradus & dignitatis sint, & munera qualia sint: de hinc personae quibus deferantur honores, vel munerum administrationes: dehinc lex ex qua deferuntur, *Callistra. in l. honor. 14. §. de honorib. de munerib. & honor. P.* & formula seu ordo a lege constitutus.

*¶* In honoribus ipsi gradus sunt multi, alique aliis maiores & minores, & digniores. Honorum quippe alii municipales, alii regii seu ab Imperatore concessi, qui potiores in dignitate. *l. 2. de albo scribendo, lib. 50. P. tit. 3.* Et qui principi digni viti sunt, multo magis in anterioribus sunt adiuuandi, vt ait Iustinianus *Cael. l. restituta, 6. de offic. d. m. for. iudic. l. 2. & 6. §. eos autem, vt iud. sine quoque suff. in a. u. b.* Atque princeps qui magistratum dedit, omnia necessaria censetur eidem decreuisse. *Vlp. l. quidam cum filium, c. 57. de re iudica. l. 4. 2. tit. 1.* Et vt scribit Theodericus Gothorum rex senatui Romano, non est maius meritum, quam gratiam inuenisse regnantium. Nam quibus fas est de cunctis optimos querere, videntur semper meritis elegerit. *Cassiodo. l. 1. Variar. epistola. 43.* Ceterum magistratuū & honorum delatorum a principe vel populo, olim gradus maiores & minores fuisse apparebit latius, cum de magistratibus, & eorum iurisdictione agetur.

#### De Honoribus municipalibus, & diuersa ex illis personarum distinctione. Cap. 13.

- 1 Honorum municipalium quaedam species.
- 2 Decurionum quid, & decuriones qui, & quare induci, & decuria quid, & 4. Colonia ad exemplum ciuitatis Romanae composita, eodem. Tribus & tribus quid, eod. Curiones & curia quid, eod.
- 3 Decuria iudicium qua, & quot.
- 4 Decurionum persona cuius debent esse qualitates, & qui possint esse decuriones. Salarium ex publico quidam decuriones accipiebant, eodem. Honores seu officia quis possit subire, eod.
- 5 Honoribus & muneribus quis excusetur.
- 6 Bona & facultates honores gerentibus requiruntur.
- 7 Equitum electio ex censu, & aliis rebus quando Romanae.
- 8 Decurionis constituendi census.
- 9 Dos uxoris non obligatur pro decurionatu mariti.
- 10 Honoribus fungi quis cogatur in loco originis. Munera vbi quis subire, & honores cogatur, eod.
- 11 Municipi qui dicantur.
- 12 Municipium qua faciunt, & 16. & 17. 18.
- 13 Materiam originem qui sequantur potius, quam patri.
- 14 Patria propria, & communis qua.
- 15 Manumissio facit municipem. Libertus patronorum sequitur originem, & domicilium, eodem.
- 16 Incolatus municipem facit.
- 17 Domicilium vbi quis habere dicatur, & 21. Peregrinari quid, eod.
- 18 Incola ciuitatis quis dicatur. Aduena quis, eod. Scholasticus decennio alicubi habitans incola fit, eod.
- 19 Domicilium transferendi libertas quando.
- 20 Domicilium in diuersis locis quando quis habere dicatur. Domus sola in aliena ciuitate domicilium non facit, eodem.
- 21 Domicilium vbi habet miles.
- 22 Domicilium uxoris sponsae & viduae vbi sit.
- 23 Domicilium vbi habere dicatur relegatus.
- 24 Honoribus & muneribus gerendis postulatus ab origine, patriae, domicilio, cui concedendus.
- 25 Honores & munera non continuanda inter patrem, & filium, & alios.
- 26 Honorum repetendorum qua intercedant interstitia temporum.
- 27 Honores & munera ordine municipibus deferri debent. Legatio decernenda primatibus, eod.
- 28 Honoribus maioribus functi, minoribus quando possunt assisti.
- 29 Honorati quomodo, & quo ordine sunt in albo scribendi.
- 30 Filii patri dignitatem addunt maiorem.